

AD
IVSTA FVNEBRIA
SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI, AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO
AVGVSTO,

REGI POLONIAE, MAGNO DVCI LI-
THVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MAZO-
VIAE, SAMOGITII, KIOVIAE, VOLHINIAE, PODOLIAE,
PODLACHIAE, LIVONIAE, SMOLENSCHII, SEVERIAE, ET CZER-
NICOVIAE, DVCI SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, ET WESTPHALIAE, S. R. I. ARCHIMARECHAL-
LO, ET PRINCIPI ELECTORI, LANDGRAVIO THVRINGIAE,
MARCHIONI MISNIAE, NEC NON SVPERIORIS, ET INFERI-
ORIS LVSATIAE, BVRGGRAVIO MAGDEBVRGI, COMITI
PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGICO, COMITI
MARCÆ, RAVENSBERGÆ, BARBII ET HANO-
VIAE, DOMINO RAVENSTEINI,

REGI, ELECTORI, AC DOMINO NOSTRO
INDVLGENTISSIMO,

IN GYMNASIO BVDISSENSI D. IIII. DEC. clo lo cclxiii. a II.

GRATISSIMO ANIMO PERSOLVENDA,

VTRIVSQVE ORDINIS HVIVS LVSATIAE

PROCERES

ILLVSTRISSIMOS, SPLENDIDISSIMOS, AMPLISSIMOS,

SENATVM VRBIS MAGNIFICVM,


CETEROSQVE CIVES LVGENTES,

DEMISSE ATQVE OFFICIOSE INVITAT,

OBITER DE REGE, PASTORE POPVLORVM, DISSERIT,

M. CHRISTOPHORVS HIEREMIAS ROST,

RECTOR.



BVDISSAE,
LITTERIS CHRISTIANI SCHOLTZII.

*Siro
Excellentissimo.
Domino M. Rost
Lectori longemeritissimo
cum pietatis prefatione
d.
S. F. Schumannus.*



Cum quæreretur a Catone sene, vt est apud Ciceronem de Offic. II. 25. quid maxime in re familiari expediret, respondit, bene pascere. quid secundum? satis bene pascere. quid tertium? male pascere. Quo responso non indiligens iste pater familias haud obscure significauit, pastionis, quæ afferret utilitatem longe maximam, maximam etiam in administranda re familiari curam habendam esse. Eodem sensu præditi fuisse mihi videntur primæ ætatis homines, atque ea de causa facillime hanc operam a se impetrasse, vt ipsi pecus pascere, ouesque curarent ac custodirent suas: quod non modo a plebe minuta, verum etiam a viris principibus, regumque filiis et filiabus, factitatum esse, ex veterum monumentis planissime docemur. Hinc pastorum genus vitæ, sordidum illud nostris moribus et illiberale, in summo honore illis temporibus, ac mira dignatione erat, ipsorumque regum amplitudine et splendore pastoris nomen minime indignum existimabatur. Nihil dicam hoc tempore de æternæ maiestatis ac gloriæ Rege, quem veridici interpretes Dei immortalis, pastorem futurum generis humani cecinerant, et qui Ipse Sibi pastoris in appellatione placuisse quodammodo videtur: prætermittam item Platonis scripta, vbi, quamuis omnia ad sublimitatem magnificentiamque sint composita, ii tamen, qui præsent rebus publicis, profecto sæpe nomine pastorum populi vocantur, pergantque ad Homerum, antiquissimum moris profani scriptorem, et fontem ingeniorum, vnde et Platonem, et ceteros nobiliores scriptores factis constat hausisse, qui quidem, vt quemque regum voluit exquisitissime laudare, ita eum maxime pastorem populorum appellauit; inprimis autem huius nominis honorem, ac præcipue dedit Agamemnoni, regi regum, qui omnes ad Troiam euertendam profectos antequam auctoritate, et cuius ductu et imperio a Græcis res in Asia gesta est, adeo, vt hunc belli Troiani imperatorem vix aliter, quam populorum pastorem (*ποιμένα λαών*) vocitauerit. Nihil attinet loca, quæ se cuique sexcenta offerunt, faciendæ fidei ergo hic ponere; id autem obliuiscendum non est, quod recte obseruat Eustathius ad Iliad. β. 243. neminem regem a poeta populorum dici pastorem, nisi bonum atque eum, cuius imperium beneficiis teneatur, non iniuriis, et qui habeat cives paratos, oblequentes, ac iussis sine vlla cunctatione, vt oues pastoris voci, parentes.

Quibus intellectus festinandum esse videtur ad similitudinem, quæ reges inter atque pastores intercedat, ad easque causas declarandas, quare custodibus reipublicæ ac gubernatoribus, pastorum populi nomen tribuatur, quæ causæ partim manifestæ sunt atque in promptu, partim vero a præclarissimis scriptoribus summa diligentia indagatæ, et tam luculenter ornateque expositæ, vt supra esse nihil possit. Ex omni numero paucos commemorare licuerit, Platonem quidem in primo de Republica, Xenophontem Socratis Memorab. III. 2. et Philonem Iudæum, in vita Mosis ab initio, quorum virorum libri sunt in manibus, et a studiosis Græcarum litterarum cupidissime leguntur. Possunt autem eorum hac de re disputationes ad vnam hanc summam referri, vt discamus, reges propterea audire populorum pastores, quia, vti pastores dare operam solent diligenter, vt saluæ sint oues suæ, habeantque rerum omnium prouisam copiam: ita similiter reges bene morati omnes curas ac cogitationes conferunt ad tuendam rei publicæ salutem, et ciuium suorum quasi regi optime consulunt, prouident atque prospiciunt. Et si autem hæc verissime, a grauissimis viris, et quemadmodum regum bonorum dignum est officio, vtique differuntur; tamen nobis videtur comparationis causa maxima uel præterita ab iis, uel certe non satis explanata esse, quam cognitam a nobis in luce euangelii, cuius adspiciendæ facultas illis quidem negata erat, nunc deinceps age paucis demonstremus. Enimuero ex Luc. XV. 4. 5. 6.

Iohan. X. 12.-16. 26.-28. evidens ac manifestum est, in virtutibus et pastoris, et ouium commemorari quendam incredibilem, eumque mutuum amorem, cuius ea vis est, vt ad benevolentiae magnitudinem, qua parentes et liberi inter sese continentur, proxime accedat, immo vero in Nathanis illa nobilissima parabola cum amore coniugum comparetur. Quid enim tam difficile, tam plenum laboris ac periculi, quin id facile fiat pastoris, ab eoque non intuito suscipiatur ouium suarum causa? Nonne pro iis noctes diesque et corpore et animo excubat, cum iis frigorum vim, et calorum molestiam tolerat? Nonne errantes requirit, gregique reddit, fessas et languentes sinu humerisque exceptas fouet et confirmat? denique, si necesse sit, pro singularum vita vitae discrimen adire, et ipsam mortem oppetere nullus dubitat. Oves contra pastorem vnice, vultum eius, nutum atque imperia spectant, absentem desiderant, praesentis in ore acquiescunt, et ne quidem ea timent, quae vel animantium fortissimis terrorem timoremque iniiciunt? Acceptorum autem beneficiorum tam consciae viuunt ac memores, vt ego propemodum credam, eas, si possent, quod possunt in fabulis, omnino ita facturas, vt quam gratissimae erga auctorem salutis, et pietate singulari esse cognoscerentur. En Vobis causas mutuae illius benevolentiae! en vincula, quae summum illum inter pastorem atque oves amorem adstringunt! Sed enim, cum nec minus multae, nec actae minus sint necessitudines, quibus reges timendi cum propriis gregibus coniungantur; quid, oro Vos, impedit, quin eosdem reges salutare pastores populorum audeamus?

Atque hoc loco Saxoniae lubet admirari felicitatem, vel potius erga nostram gentem Dei immortalis prouidentiam, quae dederit nobis inde ab vltima memoria vsque ad hodiernum diem pastoribus ouium simillimos Principes, et quos nomine pastorum populi vocare sine vlla dubitatione possimus. Non opus est, vt rem altius atque ordine repetamus, et narremus historiae seculis notas, cum vel vnus **Fridericus Augustus**, ad imitationem maiorum totus conformatus, et modo, completa sorte rerum humanarum, quibus **Eum** Deus accommodauerat, stirpi suae repetitus, satis iam satis cuique persuadeat, Saxonicum esse, amare, et amari, benevolentiamque inter Principes ac ciues parem et mutuum, haberi bonorum in numero, quae, praclaro Dei immortalis munere ac concessu, propria sint populi Saxonici, ab eoque possideantur. Quod si enim verum est, quod nemo dubitat, amari Principem, nisi ipse amet, non posse; intelligitur sane, cordi fuisse Saxonas Augustissimo Regi, qui **Eum** tam ardentem, tam omni tempore, et tam admirabili conspiratione dilexerint. Nemo inueniebatur nominis Saxonici, plane nemo, cuiuscunque esset aetatis, sexus atque ordinis, quin **Augustum** suum ceteris Regibus maximis, potentissimisque longe anteponeret, et optime secum actum esse putaret, quod veheretur in eius ciuitatis nauis, cuius clauum Gubernator suorum amantissimus tenebat. Nunquam satis erat, Patriae Patri non displicuisse, placere etiam **Ei** pro se quisque, moribus, studio, omnique reificatione pietatis volebat. Quid dicam effusiones hominum ex oppidis? quid concursus ex agris patrum familias cum coniugibus, et liberis, qua transiturus esse videbatur, vt Principis Optimi vultum propius adspicerent, contingerent purpuram, illamque dextram complecterentur, quae liberalitatis ac beneficentiae quasi quaedam officina erat. Quanta gratulatio de **Eius** aduentu, quanta de abitu conquestio! Omnes Indulgentissimi Principis laetari secundis rebus, aduersis optima fide contristari, vota facere pro **Eius** incolumitate, seram immortalitatem **Ei** precari, et tantum non pro Publico Amore caelo inferre manus. Amavit itaque Saxoniam **Augustum** suum, et mirabiliter quidem amaui, sed aliquanto minus tamen, ac meritis est Princeps

FK 18 2009

X 338 8096

omni laude virtutum regiaram decoratus, quas inter eminebat humanitas inusitata, summa lenitas et mansuetudo, amor vero erga ciues tantus, quantus pastoris in oues, in natos parentis esse vix potest. Ex Suo conspectu triflem neminem dimisit; multis multa largiter ac cumulate donauit; veniam peccato, virtuti præmia dedit. Secutus est consilia pacis ac togæ sociæ, non belli et armorum, maluitque vnum seruare ciuem, quam mille hostes occidere. Suam gloriam totius populi saluti, et ciuium vtilitati ius suum postposuit. Paucis vt omnia complectar, fuit clemens et iustus dominus, maritus fidelis et castus, felix et bonus pater, et sincerus minimeque fallax amicus.

Quo magis credibile erit, nihil vniuersæ Saxonie ad dolorem accedere potuisse acerbius, quam quod accidit, vt illud clarissimum patriæ lumen omnibus salutare ac iucundum, subito atque improuiso exstingueretur, finesque nostri miserimæ noctis tenebris ac caligine inhorrescerent. O diem illum luctuosissimum, quo die amabilissimus Princeps ex nostris oculis sublatus est! o casum funestissimum, qui tot tantarumque virtutum decora obruit! Non sumus ambitiosi in malis publicis, vti namque nulla causa lacrimarum subesse! Sed qui non possumus effundi in lacrimas, amoris, desiderii, et pietatis verissimas, honestissimasque testes? quis est, qui cum omnem ciuitatem luctu, sordibus, et squalore afflictam videat iacere, fletus et lamentationis munus humanissimum defugiat? Ergo luget Pastoris sui mortem Saxoniam, moeret Lusatia, afflictaur hæc vrbs, ipsa denique schola nostra tam bonum, tam mitem, tam beneficum Regem desiderat, nullumque solatium tantæ ærumnæ expectat, præterquam a Deo immortalis, et Nouo Principe, quem Deus iste immortalis quasi aliquod signum, ad bene de omni republica sperandum nobis sustulit, defunctoque longissima statione mortali Augusto, in hac populi sui custodia, tanquam in specula, collocauit. Non desperandum est, Friderico Christiano, Duce rerum et Auspice; non est, cum ad gubernacula sedentem videamus Principem expertæ virtutis, et Virum non modo seculi sui, sed omnis æui optimum, amorem gentis Saxonicæ atque delictum. Faxit modo æternus Pater, vt Pater hic Patriæ, cum Regia Coniuge, Maria Antonia, soboleque Augusta, lætus diu interfuit rebus humanis, vt auctus indies salute, fortuna et gloria, Suarum pro nobis curarum atque vigiliarum fructus vberrimos dulcissimosque capiat, vtique in regunda ciuitate secundissimis semper ventis vtatur.


Restat, vt tandem indicium faciamus eius rei, cuius rei causa, more modoque scholastico, illa superius scripsimus. Constituimus autem et in nostro gymnasio nomini Serenissimi et Potentissimi Regis, Friderici Augusti, iusta funebria persoluere, ac memoriam Principis de re Saxonica immortaliter promeriti, laudationibus publicis concelebrare. Videbimur enim ita facere officium, et quod maxime dignum est Rege Indulgentissimo, qui non modo Ipse liberalium studiorum elegantiam, omnemque doctrinam adamauit, verum scholas etiam, litterarum ac mentis bonæ matres, vehementer ornauit ac tuitus est. Auctoritate vero Magnifici Senatus res hoc modo geretur, vt ego quidem, scholæ rector, dicendi faciam initium, et Fridericum Augustum, optimi animi Principem fuisse, pro hac copia ingenii mei, ostendam. Eo facto consurgent mihi coniunctissimi Collegæ, Iohannes Theophilus Coberus, Conrector, et Iohannes Christianus Helcius, Subrector et Mathematicus, quorum ille de virtutibus Friderici Augusti propriis, vt magno Rege dignissimis, hic autem, de integritate, virtute regia, eaque prima, verba faciet.

Persuasum nobis est, neminem esse in vrbe, quin tali fauere instituto, et memorie Friderici Augusti se hoc debere intelligat, vt huic actui ne interesse nolit. Nihilofecius tamen, vtriusque ordinis huius Lusatie Proceres Illustrissimos, Splendidissimos, Amplissimos, Consules Magnificos, Senatores Grauiissimos, ceterosque ciues lugentes, ad ita faciendum, remque nostram sua præsentia cohonestandam, demisse atque officiose inuitamus.

P. P. Budissæ, d. III. Decembr. 1703 c c l x i i i.

nc

AD
IVSTA FVNEBRIA
SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI, AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO
AVGVSTO,



ONAE, MAGNO DVCI LI-
SSILÆ, PRVSSILÆ, MAZO-
IOVLÆ, VOLHINLÆ, PODOLILÆ,
E, SMOLENSCII, SEVERILÆ, ET CZER-
ONILÆ, IVLILÆ, CLIVILÆ, MONTIVM,
PHALILÆ, S. R. I. ARCHIMARECHAL-
CTORI, LANDGRAVIO THVRINGLÆ,
NEC NON SVPERIORIS, ET INFERI-
RGGRAVIO MAGDEBVRGI, COMITI
TATE HENNEBERGICO, COMITI
NSBERGÆ, BARBII ET HANO.
DOMINO RAVENSTEINIIL,
RI, AC DOMINO NOSTRO
DVLGENTISSIMO,
DISSENSI D. IIII. DEC. cloccccxiii. a II.
IMO ANIMO PERSOLVENDA,
ORDINIS HVIVS LVSATILÆ
ROCERES
SPLENDIDISSIMOS, AMPLISSIMOS,
VRBIS MAGNIFICVM,
SQVE CIVES LVGENTES,
E ATQVE OFFICIOSE INVITAT,
PASTORE POPVLORVM, DISSERTIT,
OPHORVS HIEREMIAS ROST,
RECTOR.

BVDISSAE,
IS CHRISTIANI SCHOLTZII.

*Siro
Excellentissimo
Domino H. Voigt
Lectori longemeritissimo
cum pietatis prefatione
d.
S. F. Schumannus.*

